



D. HIERO-

NYMI PARDO VAL-

DVNQVILLENsis, &c.

— EPISTOLA ADVERSVS HER-  
nistas.

AD CLARISSIMVM VIRVM D. GAS-  
parem Bravo, Vallis-Oletanum Pri-  
marium, &c.



QVONIAM in fine illius responsionis ad  
epistolam meam, *de medicamentis primæ  
regionis purgatiuis post multos, eisdem-  
que maximos, quos mihi retribuisti hono-  
res, me suades, vt de littéralibus meis la-  
boribus te participem faciam: idè præsen-  
tem lucubratiunculam tibi corrigendam mitto. Quæ de dif-  
ficultate, quam continet, facillimè te certio-  
rem faciet, nunc hoc terræ tractu magnopere  
physicorum, & Theologorum  
ingenia vexante. Cuius decisionem hac  
epistola proponere curavi, eam mittens,  
ac dicans ad D. D. Antonium de Vera-  
stegui huius quæstionis primum, ac præcipuum  
motorem;*

An verò veritatem attigerim, tu scies; ego enim prorsus ig-

A


noros

20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30

noro, & nihil mirum, cum maximè arduus, obscura, & dubia res exisset; siue curationis modus, ex quo nunc cõsurgit, nouus, siue antiquus, & obsoletus, & nunc renouatus sit: quia vt inquit Plinius in præfatione ad Vespasianum. *Res sanè ardua est vetustis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, &c.* Quapropter, & quia ad Catholicam, & vniuersalè Ecclesiam scire pertinet, an taliter læsi, & sic curati apti sint ad generandum, & matrimonium contrahendum, Summus Pontifex noluit quibusdam particularibus sententijs acquiescere, imò præcepit, vt in principalioribus Christianismi Vniuersitatibus punctus hic ventilaretur, ac decideretur, vt vis earum iudicijs, pontificale (quod iam iam in dies, & in horas spectatur) prodeat edictum de validitate, vel in validitate matrimonij inter taliter læsos, & sic curatos contracti, aut cõtrahendi. Et cum vidissem ego à nostra Vniuersitate, Hispanarum matrice, consilium in re tanti momenti non peti, ægrè tuli; & inde eiusdem filiorum minimus ansam scribendi epistolam hanc arripui. Quæ vtinam in tui, necnò & aliorum Doctorum gratiam cedat, & in aliquam Reipublice utilitatem prodeat. Vale.

*Epistolæ talis est tenor.*

D. HIERONIMI PARDO



D. HIERONYMI PARDO  
VALDVNQVILLENSIS;

OLIM IN FLORENTISSIMA VAL-  
LIS-OLETANA ACADEMIA PVBLICI PHY-

losophiæ, & Medicinæ Candidati, ac Doctoratus gradum  
adepti, nunc verò apud Sepuluedam professi.

*EPISTOLA APOLOGETICA ADVERSVS  
Hernistas.*

EXCVLTISSIMO VIRO, EXIMIO, AC DO-  
ctissimo Doctore, omni laude maiori, ac omnimoda virtutū  
encyclopedia delibato, Domino Antonio de Veraategui,  
quondam Episcopatus Segobienfis Visitatori, nunc autem  
Sancti Christophori Opidi de Matabuena dignissimi  
mo Parrocho, atque Rectori, &c.



LABENTIS Christiani sæculi anno M.  
DC. LI. pridie nonas Decembris, tractatū  
tuum de *in potentia noui generis Spadonū*  
tradenti mihi Ioanni Garciae de Rosuero,  
tuo additissimo parèco, ac mihi amicissimi-  
mo, summas egi grates. Tibi etiam, Doctor  
reuerendissime, ac Christianissime, quas  
possum ago. Si enim ampliores possem, referrem equidè. Sed  
nec tua fortuna desiderat remunerandi vicè, nec nostra sug-  
gerit restituendi facultatem. Plura sanè in eo sum miratus;  
quæ non sine multis lucubrationibus, imò & corporis, & ani-  
mi laboribus adipisci potuisti; præsertim in inquirendis, &  
conciliandis tot auctorum, Physiologorum quippè, Theolo-

A 2 gorum

gorum, Iuris, Consultorum, Medicorum, & (quod difficilius reputo) Pseudo Hernistarum, hominum vagabundorum, & ignorantium, sensus. Sed cum in Dominica vinea iam diu assuetus sis laborare, omne difficile facile toleras. Laboras ergo nunc, & in sudas, pro Catholice Ecclesie a primis strenuo factamento, quod inter alia Apostolus magnum vocavit. Et tui magnopere Erebi dux in videt, utpote eo, & omnibus maritalibus, & matrimonialibus illecebris perpetuo carens, ut colligitur ex Claudiano lib. 1. de raptu Proserpinæ, dicente:

*Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras,  
Prælia moturus superis, quod solus egeret  
Connubijs, sterileque diu consumeret annos  
Impatiens, nescire eorum, nullasque mariti  
Illecebras, nec dulce passis cognoscere nomen.*

Vnde nihil mirum, quod perseverante adhuc hac diabolica impatientia, & Dæmoniaca invidia, pluribus machinamentis malignus spiritus hoc tantum Sacramentum in validare satagat, eiusque fructus turbare, & interdiceret. Quare in tuuaculatus initio haud irrationabiliter hasitas, & reformidas, num medelæ genus à te ibi adductum (quod novum putas) aliqua diabolica polleat fallacia? Deinde dubitas, & consulis, an sic curati apti maneat ad posse generare, siquidem potentes manent ad barbam emittendum? Ex quibus, ut decet, decisio, iuridica, & pontificalis dependet decisio, virum scilicet eorum matrimonium sit validum necne? Utinam tibi, nec non & omnibus Orthodoxis, res ex optatis protinus respondeat. Interim tamen, si mei genoli votum ad proposita dubia decidenda apud te aliquid valet, illud ex animo accipe in tribus partitum propositionibus, quibus vulgarium Hernistarum errores obiter deteguntur.

### Prima

## Prima propositio.

Num. 1.

**M**ODVS curationis (in quo inguina ceduntur, extrahuntur testiculi suo suspensiculo hærentes, denudantur à tunica cuique propria ab erythroide scilicet, lauantur, & iterum intra viscera intromittuntur iuxta abdomen videlicet) qui nunc tanquam novus exhibetur ab Hernistis pro curandis hernijs intestinalibus, non est novus, sed antiquus valde, cognitus, & vñtatus ab antiquis Medicinæ principibus, tam Latinis, quam Græcis. Et ex consequenti non est nunc diabolica fraude inuentus.

2. Probatur primò propositio ex Cornelio Celso, principum medicorum latinorum principe, Equite Romano, Auctore gravissimo, & antiquissimo, qui multo tempore Galenum præcessit, siquidem, ut ait Zacutus tom. 1. in præfatione ad lectorem, vixit sub Tiberij, & Trajani Impetio. Is enim perillustis Auctor lib. 7. suæ medicinæ cap. 19. postquam in curatione herniæ inguinalis tradidit modum aperiendi inguinis, & extrahendi foras testiculum, ait: *Purgatus ita testiculus per ipsam plagam cum venis, & arterijs, & nervo suo leviter demittendus est, videndumque ne sanguis in scrotum descendat.* Et in hoc eodem capite postquam tradidit modum incidendi scrotum in simili curatione, subdit: *Et facto, intus testiculus reponendus est, oraque scroti suturis inter se committenda, &c.* Et cap. 20. sequenti agens de curatione herniæ intestinalis per incisionem inquit: *Si vir robustus est, maiusque id vitium est, extrahi testiculus non debet, sed in sua sede permanere. Id hoc modo fit. Inguen eadem ratione usque ad mediam tunicam scalpello aperitur, eaque tunica eodem modo duobus hamis excipitur, sicut à ministro testiculus eatenus corineatur, ne per vulnus exeat. Et in capitis sine dicit: *Excisis, quæ excidenda sunt, repositoque testiculo ab ora quoque eius vulneris, quod in inguine est, &c.* Aliaque plura in hoc*

hoc eodem libro ad hoc comprobandum adducit exempla, dum alias herniarum species curare intendit.

3 Probatur secundò ex Paulo Aegineta, auctore Græco notæ maximæ, maximeque auctoritatis, qui paulò post Galenum scripsit, & vniuersam medicinam in compendium rediguit. Is igitur lib. 6. de arte medendi cap. 66. apertissimè eundem curationis modum in casu propositum refert, aiens. *Postea quam inguen ea in parte, qua extuberat, transversa incisione trium digitorum longitudine aperuerant, membranasque, & adipem eduxerant, membranam abdominis denudatam ea in parte, qua fastigiatur, capitulo specilli comprimabant: ita enim fiebat, ut intestina sursum repellerentur, duasque membranas partes, quæ utrinque à specillo exurgebant, suturis inter se committebant. Deindè specillo extracto, neque membrana præcisa, neque testiculo exempto, neque alia quapiam re facta, bis, quæ cruentis vulneribus iniiciuntur, medicamentis curabant, &c.*

4 Ex quibus plura colliguntur, & manifestantur aduersus horum temporum vagantes Pseudo hernistas. Colliges ergo in primis huiusmodi curationem, inuentam fuisse pro quarumdam herniarum medela, pro quibus curandis ea vsi sunt prædicti medicinæ antistites. Inguen enim incidebant, testiculum extrahebant à suo suspendiculo dependentem, & iterum, factis faciendis, intromittebāt. Nec refert, quod apud citatos Auctores antiquos non reperiat huiusmodi curatio cum eisdemmet circumstantiis, quibus hodiè hernistæ videntur, sufficit enim quod apud illos inueniatur cū principalioribus, in quibus vis argumenti, & curationis, sita est, nec non & identitas, ut ex dictis iam claret.

5 Colliges secundo. Hanc curationem non esse nouam, neque ab his hernistis inuentam, sed antiquam maxime, & antè Galenum vsitatam. Vnde falsis iactationibus hernistarū, qui sese Auctores prædicant, fides non est adhibenda.

6 Colliges tertio. Hanc eandem curationem non esse diabolica fraude ad inuentam; siquidem ea, ut potè ex arte, & rationi

7  
tioniconsona, vsi sunt medicinæ Principes locis, supra allegatis.

7 Colliges quarto. Homunculōs illos rudes, & insipientes, nomine tenus hernistas, in opido de Curiel degentes, per iuros esse, quatenus tibi dixerit, & deposuerit, sexaginta, ab hinc annis tale medelæ genus fuisse inuentum. Quod tēpus existimas respondere tempori, in quo Sixti V. Pōt. Max. exiuit aduersus Eunuchos edictum. Sed cum multò antè talis curatione inuenta sit, ut ex dictis liquet, credere tenentis lesos ea medicatos, comprehensos esse sub tali edicto. Non enim credibile est, præfatos Pseudo hernistas, prædicti remedij inuentores extitisse, tum ob dicta: Tūm quia eorum genium incapax est ad tantum remedium inueniendum. Ad cuius veram, & perfectam executionem multæ requiruntur scientificæ circumstantiæ, quas illi callere nequeunt; illiterati enim sunt, vagabundi, nec eorum plures scribere sciunt, imò nec legere, nec rationem aliquam reddere eius, quod operantur, ut sepe in illis periculum feci. Tantummodò enim praxin illam callent, scilicet incidendi inguinis, & extrahendi testes; quæ inter illos est, quasi hæreditarium officium, à maioribus suis in suam posteritatem deriuatū, & proculdubio à medicinæ Primatibus enatum, sed temporis penuria inter doctos Medicos absoletum. Quod antiquitus ipsi, & Chirurghi docti exercebant. Ij enim hernias curabant per castrationem, aut sine illa secundum casus exigentiam, fracturis ossium me debantur, & eorum luxationes reducebant, cataractarum punctiōnem administrabant, & omnibus medicis actionibus assistebant. Sed cum temporis incuria iam deueniret, ut similibus actionū Medici sint parum studiosi; hinc est, ut nimis vulgares hominū, cui illiterati, rudes, & vagi, fiant Pseudo medici, & Pseudo chirurgi, qui per Hispaniam peregrinantes, & vagantes, aliquas medicinæ operationes sibi arripiunt, sibi que attribuunt, & à communi Doctorum vsu deflectunt. Sicque qui versantur circa herniarum curationem, hernistæ dicuntur, qui ossiū fracturorum curationem, & eorum luxationes reduce aggre-

diunt

diuntur, Algebristæ vocantur, qui verò cataractarum compunctionem administrant, oculistæ nuncupantur, & sic de alijs Pseudomedicis, & imperitis, qui apud imperitum vulgus benè multoties audiunt. Nam, vt ait Vallesius lib. 4. meth. cap. 3. *Apud vulgus sibi melius consulit imperitus, quam peritus.* Sed reuertamur ad hernistas. Hi enim cum huiusmodi homines sint, prorsus ignorant mali essentiam, causas, signa, & ex consequenti medelam. Ideoque videntes quemcumque in inguinibus tumorem, aut aliquem dolorem ibi animaduertentes, herniam, quamquam non sit, reputant, & protinus absque alijs præuijs ex arte exhibitis, canonicis remedijs, quibus forsitam malum succumberet, inguinum apertionem, & testiculi exsectionem exequuntur! O audacia, & ignorantia nefanda! O humani generis pestis, non aliter quam igne perenni abigenda! Multi etenim permanent homines castrati, & generi humano propagando inepti, ex eo quod ab his carnificibus sunt decepti, & ex sectis, qui si doctos Medicos prius consulissent, eisque credidissent, ab hernia euasissent superstitibus absque suarum carniū dissectione, & testiculorum ablatione. Non omnes herniæ per incisionem debent curari, vt sciunt periti medici, & experti chirurgi. Quod cum nesciant Curielenses hernistæ, omnes secant, & castrat cum maximo patientis incommodo, & generis humani dispendio. Et cum sæpissimè, facta inguinis incisione, & erytroidis dilaceratione, videant peritoneum non esse ruptum, vt ipsi putabant, sed tantum fortasse relaxatum, tunc auferre testiculum non audent, sed abiecta erythroide, & factis alijs circumstantijs, illum sursum impellunt, & in inguine, abdomini adhærescens (quæ testiculorum positio homini non est opportuna, vt fatetur Galen. lib. 14. de vsu part. cap. 12. in fine) manet malè tractatus testiculus, sæpeque contingit ibi mortificari, patientemque mori. Moriantur sanè multi ex taliter tractatis, vt ipsi iam animaduertent opifices, ideoque dicunt iam ab hac curatione abstinuisse. Quare de cæterò promittunt, se in similibus curis semper auulsuros, & securos ire testiculos, non cum

paruo

paruo humani generis damno: siquidem in consideratim omnine herniarum genus per testiculi incisionem curant, sique multos Eunuchos faciunt, qui si aliter curarentur, cum testiculis, & habiles matrimonio contrahendo permanerent. Audiui equidem à pluribus fœminis filios suos hernijs laborantes, habuisse iam testiculorum sectioni paratos, & postea cure atrocitate perterritas, pedem retulisse, & alijs ex arte remedijs adhibitis, absque ferro, sanitati fuisse restitutos.

8 Sed audi ad hoc comprobandum, quam iam enarro, verissimam historiam. In quodam opidulo iurisdictionis huius perillustri, ac regalis Sepuluedensis villæ, domi amici mei, puer hernia intestinali laborabat. Qui visus cum esset à vagabundo hernista, condemnatus executioni testiculorum pro hernia curanda, illicò fuit. Mater, salutis pueri auida, annuit statim. Resopinato puero, vt assolèt, ad operationem moliedam, sanū aperuit miserimi pueri inguen (morbo sò intacto.) Sed, en protinus mater, animaduertens apertionem fuisse factam in inguine sano, angustari, & lachrymari cœpit, vicinos, con sanguineosque vocare, qui hernistam non solum ad omnia, verum etiam ab opidulo, multis opobrijs, fustibus, & armis eiecere. Curata tandem fuit apertio ab sciènte chirurgo, & inguen, in quo erat hernia, etiam intra annum per sanatū fuit quibusdam leuibus, sed ex arte apposis, medicamentis.

9 Et etiam aperiam, vnde hæc hernistarum errata proueniant, illi enim falso sentunt, nullam aliam herniarum speciem dari præter intestinalem, & adhuc in quo hæc consistat ignorant, & hæc semper per sectionem inguinum curari, aurumant. Sicque pecuniarum auidi, arrogantes, superbi, & hac ignorantia delibuti, indiscriminatim omnes secant, & castrat. Est ergò hernia intestinalis descensus intestini ilei in inguina, aut scrotum. Quæ duplici ex causa contingere potest. Primò ex relaxatione tunicæ intestina omnia inuoluentis, quæ peritoneum dicitur, & producit cum vasis seminalibus per inguina vsque ad testes, & immediate eorum substantiā ambit, ibique mutat nomèn, & *dartos* solet vocari. Relaxata igitur

B

ru g

tur hac tunica, descendunt intestina ad inguina, & scrotum. Tuncque nequaquam curatio tentanda est per inguinū apertionem, sed per medicamenta relaxationem sanantia. Secundo causari potest ex ruptione, & crepatura (*valgo quebradura*) prædicti peritonei per eam partem, qua ad inguina, & testes inclinatur. Et adhuc hæc ruptio, si parua sit, per medicamenta glutinantia curari petit, & non per ferrū. Si verò magna sit, curari debet per ferrum, & ignem. Quod hoc modo fit. Ceditur inguen, testiculus per ipsam plagam extrahitur, & abscinditur per partem superiorem ad rupturam, ita ut ruptura omnis remaneat in parte abscisa: postea plaga fortiter ligatur, cauterizatur, & ut reliquæ plagæ, conglutinari curantur. Si ergo, hæc est vera in hac re operatio, inquiri, quare herniæ erytroidem, siue vaginalem secant tunicam, & non dartos, eam scilicet, quæ à peritoneo descendit, & in qua est ruptura? Equidem post tunicarum communium incisionem statim sese insinuat erytroides, in qua nulla est ruptura, nec damnum, & quamuis ibi adesse, non ideo intestina descendere, est enim damnum in dartos, ut dictum est. Quare ergo hæc dartos non secant, & secant erytroidem? Gravis sane ignorantia, & error. Ideoque multos sic aggressi sunt curare, qui post operationem multo peius se habuere. Quare ergo testiculum præcidunt, si adhuc præcisa erytroyde, poterat remanere in scroto in dartos involutus, ibique conservari, ut ex Celso colligitur loc. supra cit. Omnia hæc mala eorum machinatur inscitia. O grave malum, & citissima emendatione dignum! In confuso forsitan audiere hi Priscorum Doctorum doctrinæ sonum, sed illum percipere, & imitari nesciunt. Multoties namque euenit in tunicis testiculos involutibus, adesse malum aliquod absque eo, quod intestina descendant (nisi complicatum sit malum) ut apparet in hernia varicosa, carnosa, & alijs, in quibus, si per ferrum curatio sit agenda, apertio fit usque ad tunicam, & partem ubi est damnum, & ea abscinditur secundum partem intactam, integro manente testiculo. Si tamen malum iam ipsius testiculi substantiam ob-

fideat

fideat, idque alijs remedijs corrigi recusarit, tunc vltima cura, est totalis testiculi incisio. Hæc equidem curatio pertinet ad sapientes medicos, & expertos chirurgos, & non ad vagantes hernistas. Quare in similibus actionibus conuenit semper prius doctos consulere Medicos. Quod si iam diu factū fuisset, melius res euenisset, neque in Hispania tot essent Eunuchi, neque hæc præsens dubitatio locum habuisset. Patet ergo iam hernistarum ignorantia, & audacia, necnon & facilis vulgi erga eos credulitas.

## Secunda propositio.

10 **T**ALITER læsi, sicque curati, inepti remanent ad posse generare. Sed antequam propositio probetur, nota, homines ineptos ad posse generare, esse in triplici differentia, alij enim sunt frigidi, & alij maleficiati, & alij Spadones. Qui inter se distinguuntur, quia frigidi, & maleficiati testes habent, & in situ naturali collocatos, idèdque *Hypospadiæ* dicuntur, quoniam scilicet membris sunt integris, sed naturæ quodam vitio affecti, taliter, quod generare non possint, priusquam vitium auferatur, ut tenet *Mynfingerus lib. I. in inst. tit. II. de adoptionibus, §. sed ex illud*. Spadones autem testibus carent, aut eos præter naturæ ordinem obtinent. Frigidi igitur sunt illi, qui in ætate habilis ad venerem exercendam inepti sunt omnino propter frigiditatem in partibus genitalibus contractam, vel à natura, vel à morbo. Maleficiati sunt illi, qui vel ob malorum medicamentorum applicationem ab arte, vel à dæmone operatam, inhabiles ad venerem redduntur. Spadonum duæ sunt differentie iuxta duas castrandi rationes, collectas ex Arist. & Paulo locis infracitandis. Prima eorum est, qui Castrati, Ectonica, siue Eunuchi communiter dicuntur, quibus vterque deficit testiculus. Et adhuc horum duplex est fors. Nam alij Eunuchi à natura sunt, ex eo quod sine testibus nati sunt. Alij verò ab

B 2

arte

arte fiunt Eunuchi, ex eo quod testiculi eis præciduntur propter aliquam herniam curandam, aut propter ritum, aut morem aliquem nefandum inter nefandos antiquos usitatum. His Eunuchis committebatur disciplina, etiam puerorum usque ad annum 7. ut tradit Doctor Serna lib. de optimi regis institutione, cap. 3. Turcæ enim, & Ægyptij, inuitos homines castrare solebant, ut sic essent regiarum concubinarum, leæque custodes, ut tetigit Claudianus lib. 1. in Eutropium, aiēs,

*Hinc honor Eutropio, cumque omnibus vnica virtus*

*Effet in Eunuchis thalamos seruare pudicos.*

Nefandum castrationis finē antiquitas his celebrauit carminibus apud Turisperitos communiter repertis.

*Castratos natura facit, violenta spadones*

*Improbitas; amor Eunuchos, & fœda libido.*

Haecque easdem Eunuchorum sortes commemorat Sanctus Matthæus capit. 19. historix Evangelicæ dum ait: *Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum Cœlorum, &c.* Huiusmodi ergo homines, ab officio custodiendæ cubilis Eunuchi dicti sunt; nam vox *Eunuchos* idem sonat, ac custos cubilis. Primæ fortis Eunuchi steriles proculdubio sunt, ut probat Andreas Laurent, conf. 11. & secundæ etiam omnis cordatus Philosophus steriles tenetur asserere, & horum nullus barbâ emit-  
tit. Quapropter mulierculę, venereis delectationibus deditę, hos ardentem amant, ut colligitur ex Iuuenali Satyr. 6. dicente,

*Sunt, quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper*

*Oscula delectent, & desperatio barbæ,*

*Et quod abortiuo non est opus.*

Denique Eunuchi, qui propter regnum Cœlorum fiunt, metaphorice tantum tales dicuntur, quos etiam loco cit. sacra commemorauit pagina. In secunda tandem spadonum differentia comprehenduntur omnes illi, qui testiculos habent male affectos, collisos quippe, & attritos, aut à propria, & naturali sede diuulsos, scilicet extra scrotum; aut qui vasa semi-

nalia

nalia habent tortuosa, inuersa, & implicita, taliter, quod per ea semen recta nequeat ire. Et huiusmodi spadones *Thlybie* solent vocitari apud priscos, & à quibusdam *Thladia*, & *Thlasia*, ut constat ex Mysingerio vbi supra, & ex Alciato in l. spadonum, tit. de verbor. significat. Et quamuis aliqui inter castratos, & spadones diuersitatem ponant, ut Ioānes Yañez, Parladorius differentia 85. tamen utriusque subspadonum genere continentur, ut deducitur ex l. spadonum 128. ff. de verbor. significat. vbi sic: *Spadonum generalis appellatio est, quo nomine tam ij, qui natura spadones sunt, quam Thlybie, & Thlasie sed & si quod aliud genus spadonum est, continetur.* Quæ lex fundatur in eo, quod spadones ex nominis videntur illi, qui habent testes auulsos, aut à propria sede separatos, ut ego interpretor: quia aliter nequaquam distinguipotant castrati utroque teste carentes, ab his, qui quodam modo testes habent. Verbum enim *spadon*, Græcè proprie dicitur *is*, cui testes, aut ipsi cremasteres auulsi sunt. Ii igitur spadones ad collisos, & attritos debent reduci dum ad intra testes habent, quomodocumque eos habeant; dum verò eis omnino careant, ad Eunuchos, siue excisos reducuntur. Sunt enim solummodo duæ castrandi rationes, vna per collisionē, siue attritionem, & alia per testiculorum excisionem, ut colligitur ex Arist. lib. 3. de histor. animal. cap. 1. & ex Paulo lib. 6. cap. 68. Cum igitur spadones per collisionē, siue attritionem facti, testes, quamquam malè dispositos habeant, coitum appetere non desistunt, ut constat ex Paulo loc. cit. imò & quia testiculos ad intra reconditos habent; maximè salaces eorum quidam existunt; ideòque his apud antiquos denegata fuit mulierum custodia: & cum ex alia parte pubescant, & barbam emittant, meritò de his, & non de alijs, suboritur difficultas, an scilicet apti sint ad generandum, siquidem appetunt coitum, & barbam emittunt. Pro quo decidendo dubio hanc secundam statuimus propositionem, quam nunc comprobabimus, siquidem satis doctè ea probata est iam à doctissimo D. Petro Barba, Philippi Quarti Archiatro, in censura, quæ  
super

*super hac re pro Protomedicato exhibuit.*

11. Probaturque primò. Quilibet morbus sensibilis lædit sensibilibus operationes viuents. Sed in taliter læsis datur morbus sensibilis, lædens partes, generationi seminis prolifici dicatas. Datur namque morbus in situ, & mala earum partium organicarum conformatione; siquidem in talibus testiculi sunt extra situm naturalem, scilicet extra scrotum. Et præterea vasa seminalia, quæ per inguina ad scrotum propendebant, sunt etiam sursum retracta, contorta, inuersa, & implicata; cuius solius rei ratione, quamquam testiculi in statu naturalissimo, ac perfectissimo essent, generatio impediretur, ut colligitur ex Arist. *lib. 1. de generat. animal. cap. 4.* Ergo ratione prædictorum affectuum non potest non lædi sensibilibus actio seminis prolifici generatiua, quæ est illarum partium propria, propriam, & naturalem earundem requirens figuram, situm, & cõformationem, quemadmodum reliquarum organicarum partium actiones.

12. Probatur secundò. In tali curatione duminguè aperitur, testiculus extrahitur, ab erythroide denudatur, abluitur, & iterum ad intra modo dicto reconditur, amittitur propria, & natua earum partium temperies, quæ necessaria est pro perfecta operatione ab illis obeunda. Sed amissa perfecta, propria, & natua alicuius partis temperie, amittitur etiam perfecta illius operatio, ut de se patet. Ergo tales non remanent apti ad posse generare.

13. Probatur tertio. Alia animalia, ut arietes, & boues, quæ castrantur per attritionem, compressionem, & testium ad intra in tromissionem, fortiter scroto contorto, ac ligato, inepti manent ad posse generare, ut quotidiana comprobatur experiètia. Ergo sic similiter homines sic castrati, quales nostro casu perhibentur, inepti sunt ad posse generare.

14. Probatur quarto. Tales spadones nunquam filios habuere. Ergo ex eo quod sunt steriles, & inepti ad posse generare.

15. Dices habuisse filios, ut constat in multis eorum, qui matri-

matrimonij legi sunt additi. Et confirmatur: nam ad ratione generationis, & ad posse habere filios nõ sunt simpliciter necessarij testiculi, ut voluit Arist. *lib. 1. de generat. animal. c. 4.* Quapropter idem Phylosophus *lib. 3. de histor. animal. c. 1.* & *lib. 1. de generat. animal. cap. 3.* refert quemdam taurum utroque teste carentem coiuisse, & ex eo coitu fuisse perfectam generationem sequutam. Ergo si ex coitu animalis utroque teste carentis perfecta cõsequitur generatio, multò melius sequetur ex coitu horum spadonum, qui quodam modo testes habent. Me huic argumento responsurum, timidum, & ancipitem ad eò detinebat talium spadonum conjugatorum pudor, honos, atque honestas, ut libenter ab illo proponendo abstinuissem, ni ad illius solutionem patentem iam aditum apud te inuenissem, duas illas historias referentem, quasi adducis pro responsione ad primum Eminentissimorum sacre Congregationis Cardinalium Sacrosancti Concilij Tridentini interpretum, quesitum. Ex quibus deducis præfatos spadones nunquam filios habuisse. Et si aliquando ab aliquibus assertum, & annuntiatum fuerit hos spadones conjugatos viros esse cum filijs, tales filios proprios non esse, sed adulterinos statuis. Quod & ego reor, & alijs similibus historijs cõfirmare poteram; sed nolo tibi esse molestus, & illis inuisus, qui huiusmodi solutionem non possunt non ægrè ferre. Quare aliam adiungo solutionem, & fortasse rationi conformiorè, dicens, quod si aliquando huiusmodi spadones coniugati, vel non coniugati, reperti fuerint filios habentes, tunc in illis nõ fuit rectè administrata huiusmodi curatio: pro cuius recta, ac perfecta administratione requiritur, quod testes ita ad intra reclusi permaneant, ut neutiquam visu, nec tactu percipi possint. Nam si percipiuntur, quamuis in scroto non sint, tunc nõ fuit perfecte administrata operatio, & sic curati, apti manebunt ad generandum; quia ex ea operatione non sequuntur tanta incouenientia, quanta ex eadem perfecte administrata. Ad quod maximè iuuat, si fortasse testes non fuerint perfecte denudati à tunicis prædictis, imò nec ita male affecti, sicut in alijs



alijs euenit casibus, ex quibus impotentia arguitur, sicut in nostro casu. Vnde nihil mirum, quod quidam spadones, sic imperfectè curati, ac improprie tales facti, quibus visu, & tactu testiculi percipiuntur, vxorem ducere optēt, ac filios habeant legitimos, ac proprios; secus vero si in eis perfectè fuerit administrata operatio, & cum omnibus suis requisitis, ita vt testes denudati fuerint à tunicis, & ad intra reclusi, ita vt neutiquam percipiantur. Ad confirmationem tandem negatur totum. Necessarij enim simpliciter sunt testes ad generandum, quicquid dicat Peripateticorū Princeps. Vnde ex tauri castrati coitu non fuit sequuta generatio; sed alterius non castrati, qui proculdubio vacæ clam superuenit, ideòque id Arist. non affirmat, sed ex aliorum relatione traditur, vt ait Andreas Laurētius lib. 7. de histor. an. tom. quæ st. 2. potuit fortasse, feminis iam vi testium elaboratis, & in parastatis asseruati portio quædam effundi, ac ex ea conceptus fieri. Lege Peramatum lib. de semine fol. 58. pag. 2. Andream Laurentiū quæst. cit. & seq. & Senertum tom. 3. lib. 3. *practicæ part. 9. sect. 2. cap. 1. quæst. 2. pag. 1136.* necnon & Lelium Bisciolā tom. 2. *horarum subcessiuarum lib. 2. cap. 18. apud Bernardū Robredum Andujarensem in inuectiua, seu responsione ad epistolam Francisci de Cascales in fauorem Eunuchorū paradox 8 fol. 27.*

16 Demum contra hanc secundam propositionem argues. Hi spadones habent barbam, vt omnes sciunt. Ergo habent aptitudinem ad posse generare. Probatur consequentia dupliciter: Primò, quia barba est euidens signum potētiae generatiuæ, vt tenet, & ex Vlmo refert Nobilis, ac perdoctus Toletanus, Regiusque Consiliarius D. Didacus de Narbona in suis annalibus anno 21. a. num. 1. Ergo si habent barbam, habent aptitudinem ad generandum. Probatur secundò cōsequentia. Virtus barbam emittendi, & virtus generandi ab eodem principio dimanant, & influunt, à testibus quippe, vt communiter habetur, imò & eadem est virtus. Igitur si huiusmodi testium testiculi diffundunt virtutem ad barbandum,

dum, diffundent, & ad generandum. Responderetur negando primam consequentiam. Ad cuius primam probationem inficiatur etiam antecedens. Ad secundam vero dic, verum esse virtutem barbam emittendi, & virtutem generandi eandem esse, & ab eodem principio prodire, à testibus scilicet; à quibus, vt communiter admittitur, qualitas influit pro actionibus masculositatis, & virilitatis necessaria, (inter quas barbæ emissio, & generatio reponuntur) vt colligitur ex Galen. lib. 1. de semine cap. 16. dicente: *Quemadmodum mouendi, ac sentiendi facultas à cerebro in nervos, pulsandi à corde in arterias diffunditur, ita quoque à testibus per totum corpus vim quandam dispergi dicamus, quæ in maribus robusti, atque masculi habitus, in foeminis ipsius foemineæ naturæ causa est, &c.* Hæc ergo qualitas, influens in intentione vt duo, v. g. sufficit ad emittendum barbam, & non est sufficiens ad generandum, quia ad hoc requiritur, quod influat in intentione, vt quatuor v. g. Vnde quia horum spadonum testiculi sunt infirmi, & distemperati, vt ex dictis constat, non possunt producere hanc qualitatem, vt quatuor, prout erat necessaria ad posse generare, bene tamen possunt eam producere, vt duo sufficientem ad emittendum barbam. Et cōfirmatur hoc in facultate animali à cerebro dimananti, quæ vnica tantum cum sit, sufficit pro omnibus actionibus animalibus, pro sensu quippe, & motu eliciendis, vt indicat charissimus mihi magister doctissimus Doctor D. Cyprianus de Maroja lib. 1. de interior. morbor. curat. cap. de paralyti, fol. 63. & inter alios elegantissimè probat peritissimus, ac mihi etiā maximè venerandus Magister D. Gaspar Brauo tom. 1. resolutionū medicar. disp. 6. sect. 3. resolut. 4. Hæc enim virtute concurrente vt duo v. g. sentimus, mouere tamen pedem v. g. non possumus, nisi in maiore intentione influat, & concurrat, vt quatuor quippe; quia perfectius quid est mouere, quam sentire, & sic maior, & perfectior vis requiritur ad mouendum, quam ad sentiendum, vt eruditè explicat dignissimus, ac maximè colendus Abbas Doctor Sancta-Cruz Opusc. 10. de influxu part.

part. princip. cap. 13. Vnde sic similiter in præfenti phyloso- phandum est.

### Tertia propositio.

17 **H**uiusmodi læsi, & sic curati, inepti remanēt ad matrimonium cōtrahēdum. Me iudice, & intra Phylosophiæ, ac Medicinæ Cancellis loquēte, hæc propositio est consequentia secundæ propositionis, & ex ea tanquam ex vera præmissa illata. Quia tamen res altiorē decisionem exoptulat, à summis Theologis exarandam, imò & à sacra fede determinandam, ut iam iam speras, ab ea super sedeo. Succedat opratis, & si vis me valere, vale. Segortix lætæ (vulgò Sepulcedæ) Kalendis Ianuarijs, fausti huius inci- pientes anni 1652.

*Tui studiosus,*

D. Hieronymus Pardo.

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*

APPEN-



### APPENDIX.

## AD OMNIA DICTA IN EPISTOLA, ET NOVA EORVM DEFENSIO CONTRA QVENDAM, ALITER opinantem.

1 **S**ED postquam hæc scripta, & concinnata, quemadmodum visum est, habuiffem, ad manus peruenit meas quædam papyrus vulgari idiōmate edita à Sebastiano Sanz Coronel, Chirurgo, Hernista, & oculista Regalium Madridi Nosocomiorum, in qua quatuor, meo videri, absque ratione, auctoritate, & fundamento, nostræ doctrine opposita statuit, & asserit. Quæ etiã ad te committere cum mei genioli censura non erubui, imò vtilissimum fore putavi.

19 Primum ergo huius opinantis asseritum, est, quod curatio tradita à Ioanne Laurentio, Medico, & chirurgo Romano, ad curandum per manualem operationem absque testiculorum incisione læsos, & ex vtraque parte fractos, solum (abscisso, & aperto prius, ut assolent, inguine) fit in prima tunica, quam ipse epidimam vocat.

20 Secundum est, quod testiculus à prædicta tunica, imò nec ab alia, non denudatur, sed solum contra ipsum testiculū comprimitur. Itaque testiculus manet sicut antea erat in ipsismet tunicis inuolutus absque aliqua earum, nec vasorum seminalium, nec venarum, nec arteriarum, nec partis membranosa læsione, paulò tamen versus inguen sursum elatus.

21 Tertium est, quod huiusmodi curatio, & operatio, diversa est ab ea, quam in nostra prima epistolæ propositione retulimus: siquidem in nostra curatione datur tunicarum dilaceratio, & separatio, in hac verò Ioannis Laurentij minime, prout ipse refert.

22 Quartum est, quod sic curati per huiusmodi Ioannis Laurentij curationem, & operationem manent apti ad posse generare; imò & de facto generant, vt persuadere conatur aliquibus historijs, & testimonijs aliquorum hominũ sic curatorum, qui filios generarunt, ac procrearunt. Ad quod, inquit, non obstat situs testium mutatio, ac sursum delatio, cum potius eadem ratione potentiores reddantur, quia scilicet magis ad intra ponuntur, & abdomini, & cavitati naturali appropinquantur. Nam testes, ait, nõ sunt sicut aliæ partes, quibus, deficienti earum primitiuo, & naturali situ, deficit earum actio, & vsus, vt patet in oculo; nam in quantum magis ad intra reconduntur, & sursum feruntur, magis calidi euadunt, & potentiores existunt.

23 Quæ omnia facillimè conuinci, & euertere possunt contra singula asserta discurrendo. Et primò contra primum, secundam, & tertium, sic. Nam asserere, quod operatio solum fiat in prima tunica, si amplius non explicetur, prorsus est intelligibile, aut saltem nimis equiuocum, cum possit esse equiuocatio an sit prima ex communibus, an prima ex proprijs tunicis testiculum inuoluentibus. Sed demus, quod per primam tunicam intelligatur prima ex proprijs. Quo casu etiã fallitur prædictus opinator, fallitur inquam in nomine, & in re: siquidem prima tunica ex proprijs, non *epidima*, vt ille cõset, sed *erythroides* communiter nuncupatur, sicque vocat Galen. lib. de vteri dissect. cap. 9. Præterea, *Epidima* (vt constat etiam falli in re) non est tunica, sed vas seminarium oblongum vtriusque testis extremo adhaerescens, vbi semè excoquitur, & idèò Andreas Laurentius lib. 7. de historia anat. cap. 3. epididymem inter vasa semen excoquentia reponit. Et adhuc admissio, vt admittit, & vult Vesalius lib. 5. de fab. corp.

corp. human. cap. 13. quem & alij sequuntur; quod *epidima* sit tunica testem inuoluens, ea tamen non est prima, sed vltima ex proprijs, quæ immediatè attingit, & ambit testium substantiam. Quare impossibile est, quod operatio fiat in hac tunica, alijs primis præcedentibus nõ oblati, quæ prius debent dilacerari, & ab eis testiculus denudari antequam perueniatur ad epididymem, quæ vltima est, & interior immediatè testiculi substantiam ambiens. Nam certum est, non posse sectionem peruenire ad tunicas interiores, quin prius fiat in exterioribus. Secundò vrgentius, & efficacius arguo: nam ea testis tunica debet apprehendi, & incidi pro rupturæ curatione, quæ originem trahit à peritoneo, cum quo communionem, & identitatem habet, siquidem illius productio, & pars est, vt constat ex rei natura, & omnes admittunt, ac etiam idem tenet auctor. Sed talis non est aliqua ex duabus tunicis communibus, vt de se patet, cum hæc solum sint cutis rugosa externa (quæ communiter nuncupatur scrotum) & membrana carnosæ, (malè ab Andrea Laurentio darton vocata lib. 7. de histor. anat. quæst. 4. & ad scrotum immediatè subsequuta.) Quæ idèò communes appellitantur, quia non solum testibus per externam partem communicant, ac eos contegunt, verum & toti corpori, siquidem illud vndique ambiunt, & cooperiunt. Ergo est aliqua ex duabus tunicis proprijs, solum, & peculiariter testes inuoluentibus, ac ad membranam carnosam subsequentis. Quarum prima immediatè ad membranam carnosam subsequuta, *erythroides*, seu vaginalis appellatur, vt innouunt Vesalius loc. cit. Andreas Laurètius lib. cit. cap. 4. Fragofus lib. 1. anat. cap. 15. Zacutus lib. 6. de Medicor. Princip. historia in paraphrasi historiæ sextæ, (licet alij, vt Galenus, siuè alius sit auctor lib. introduct. cap. 11. Paulus lib. 6. cap. 61. & Andreas Tamayus tract. 1. anat. cap. 14. *dartos* vocari insinuent.) Et secunda ex proprijs, quæ immediatè testiculi substantiam attingit, & ambit, *dartos* equidem dicitur

ex Galen. lib. de vuluæ dissect. cap. 9. Andream Laurentio, & Fragoso vbi supra, & ex alijs, imò & sic à Galeno dici lib. cit. de vteri dissectione concedit, idem Andreas Laurétius quæstion. 4. cit. (quamquam ille ibidem membranam nervosam vocet.) Sed ex his prima erythroides dicta, non est secunda, cum hæc originem ducat non à peritonæo, sed ab abdomine, cum quo communionem, & identitatem habet, siquidem illius est pars. Ergo secunda dartos vocata, quæ immediatè attingit testis substantiam, est apprehendenda, & secunda, quatenus in ea ruptura consistit, in quantum est productio, & pars ipsius peritonæi. Tunc sic (vt simul ad secundum, & tertium assertum pateat dilutio, & eversio:) sed impossibile est, quod secunda, & interior tunica apprehendatur, & eius damnū auferatur, quin prius prima, & exterior dilaceretur, ac damnificetur, cum secundum præsupponat primum, & primum via sit ad secundum, & exterius ad interius. Ergo utræque tunicæ tam communes, quam propriæ, tam primæ, quam secundæ, læsæ, & damnificatæ remanent. Et consequenter hæc Ioannis Laurentij curatio, & operatio, commentitia est, aut eadem existit cum ea, quam ex Verastegui adduximus in nostra prima propositione. Ex quibus etiam iam liquet solutio, & eversio secundi, & tertij asserti.

24 Ad quartum, & vltimum assertum claret etiam dilutio, ac eiusdem manifestatur eversio ex ijs, quæ proposuimus, ac probauimus pro nostra secunda propositione. Et ad testimonia, quæ afferit eorum, qui sic curati filios habuerunt, eodè modo respondemus, ac respondimus in num. 15. antecedenti. Præterea afferere, quod mutatio testium, & eorum sursum elatio versus abdomen, & cavitatem naturalem, nõ obstat ad generandum, imò potius quod eadem ratione testes reddantur calidiores, & potentiores ad generandum semen prolificum, falsissimum est, & idèd rationi, & Galeno aduersum, cum potius ea ipsa ratione inepti ad generandum fiant. Tum quia illa situs testium sursum mutatio efficit, vt vasa seminaria, venæ quippè, & arteriæ, decurrentur, & quodammodo re-


tor-

torqueantur, ac non habeant spatium, & longitudinem necessariam pro vsu testium naturaliter condonatâ, vt expresse deducitur ex Galeno lib. 14. de vsu part. cap. 12. dicente: *Quod si nolis oscitanter, quæ hic à me dicuntur accipere, sed ad dissecanda animalia concedens operum naturæ spectator esse velis, videbis vasa spermatica maris non parum superare, sed longitudine, profunditate, ac latitudine multis partibus reperies fæmininis esse maiora. Ob eas igitur causas mulierum testes parui ad modum extiterunt, & matricibus utrinque adherentes ad epigastrium. Virorum autem testes tum magnitudine fuerunt longe maiores, tum sub ventrè fuerunt abducti, vt ne ipsum quidem omnino tangerent. Si enim eos in ventre quoque collocasset, præterquam quod arctarentur simul, & partes, quæ illic sunt, arctarent, vasorum etiã spermaticorum necessario longitudinem minuisserent: quæ nunc quidem infernè sursum subeuntia, ac rursus superne deorsum descendunt, longitudinem acquirunt commemorabilem. Tunc enim superne deorsum dant axat tendentia, de ea latitudine, quam nunc habent, partem totam dimidiam amisissent, &c.* & idem repetit lib. 1. de semine, cap. 15. §. *Quin etiam.* Ergo rationi, & Galenicæ doctrinæ aduersator iste auctor, cum asserit, quod testes potentiores fiunt, cum sursum versus cavitatem naturalem immittuntur. Tum præterea, quia id validissima ratione confirmatur: nam quælibet operatio naturalis, vt intra certam latitudinem perfecte fiat, & vt terminum perfectum, & aptum pro vsu viuentis producat, quandam qualitatum primarum, & secundarum requirit proportionem: qua deperdita, deperditur, & eiusdem operationis finis debitus, ac terminus perfectus, vt de se patet. Sed ex mutatione situs naturalis testium deperditur eorum natia qualitatum proportio, ratione cuius semen prolificum in eis procreabatur. Ergo testes, qui habent situm naturalem mutatum, non possunt semen naturale, perfectum, & prolificum generare. Minor patet ad hominem; si quidem idem auctor opinatur, quod testes in hoc casu, cum scilicet versus cavitatem

(cm)

tem naturalem sursum feruntur, calidiores redduntur, & consequenter potentiores. Quæ consequentia ridicula est: nam ridiculum, & prorsus improbabile est, quod ex eo quod ibi sint calidiores, ideò potentiores evadant, cum, ut dictum est, mutetur etiam qualitatum proportio. Quæ mutatio consistit in illo maiore calore, quem ibi, ut ille ait, testes acquirunt, qui sufficit ad vitiandam, & deperdendam actionem seminis prolifici generatiuam. Et hanc ob causam dixit Galen. loc. cit. quod illa testium positio non est homini oportuna. Nam cum homo sit animal calidum, necesse fuit, ut ad extra propensos naturaliter haberet, ut eorum excessivus calor (& etiam ob alias rationes) attemperaretur, & ad debitam proportionem reduceretur. Cuius contrariam ob contrariam rationem in muliere experimur, quæ, quia animal est frigidum respectu hominis, naturaliter decuit, ut testes ad intra reconditos haberet, ut scilicet eorum frigiditas interno viscerum calore attemperaretur, ut ex ea attemperatione resulteret, ut de facto resultat, debita qualitatum proportio pro actione seminis prolifici productiva debite, & perfecte obeunda. Ergo variatio situs testium, variat, & amouet debitam, & requisitam qualitatum proportionem ad actionem seminis prolifici generandi necessariam.


**D.**



**D. GASPARIS BRAVI  
PRIMARII VALLIS OLETANI.**

**EPISTOLA AD DOCTISSIMUM  
Doctorem Hieronymum Pardum Valdun-  
quillensem.**

25



**Q**UAM ad me misisti epistolam aduersus Hernistas legi, iterumque auide per legi, eamque inueni refertam eius, qua frueris eruditione humanarum, medicarum, iurisque literarum optimis notijs exornatam. Primam propositionem cordate adstruis, nostri seculi Hernistarum imperitiam aperte demonstras, inscitiamque patefacis, eorumque detegis imposturas, vtiliter meo videri, si vulgus posset in tam vtilem veritatem trahi; antiquum modum operandi in ea curatione, quam nouam proponunt, detegis, satis fulcitam ex Principum Medicinæ auctoritatibus.

Secundæ verò propositioni nondum adhæreo, non quia tuum iudicium, maximè meum assensum non præferat, tuæ enim etiam maximè me mouent rationes, suadentque fundamenta, sed quia nondum post tuam epistolam in otio fui, ut aliquas perpenderem rationes in vtramque partem, ex quibus meam valerem proferre sententiam, deficit etiam mihi notitia primi fundamenti huius quæstionis, à te valde

**D**

exoro,

exoro, vt me de illo luculentius instruas, & Doctissimi D. Petri de Barua assensum, & rationes, quas citas, mittas ad me, interimque gratias tibi ago, quia in tua Epistola mei honorificam, v t soles mentionem feceris, exoroque vt tuam epistolam prelo mandes, semper enim tuorum laborum, tuique ingenij monumenta in tui ornamentum, professorumque vtilitatem per omnium perferre manus opto. Vale.

*Doctor Gaspar Brauus.*  
**Primarius Vallis Oletanus.**

